

/ Admodum Reverende Pater. Resignatio Canonicatus jam erat ad-
missa cum litterae Reverentiae Vestrae ad nos venerunt. Suborta erat
postea, quaedam difficultas ob promissiones factas tum a Capitulo,
tum a Cognatis renunciantis: sed eae sopitae sunt, ut fusius scri-
5bet Dominus Manderus. Ego vero moleste fero, quod Reverentia Vestra
tam timide ad me scribat, quasi ad extraneum hominem, et non ad Fra-
trem suum; Ego enim non minoris facio Fratres meos, et Filios Socie-
tatis Jesu, posteaquam purpuram gero; quam antea facerem, cum nigram
vestem portarem, habitus enim non facit Monachum, et ego non gaudeo
/0 isto habitu, qui conjunctam habet sollicitudinem, et periculum, et ni-
hil amplius. Itaque Reverentia Vestra libere ad me scribat ut fa-
ciebat Praedecessor ejus; et si quidem potero praestare, quae a me
petentur; libenter praestabo: sin minus; scio Fratres meos non vel-
le, nisi quod fieri potest. His valeat Reverentia Vestra mei memor
/5 in sanctis precibus suis. Romae die 15. Octobr. 1615.